



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De viri elatione. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

*Quæ fuit elatio viri: an crediderit, & voluerit quod
mulier.*

D

Solet quæri, Vtrū illa talis elatio & amor propriæ potestatis in viro fuerit, sicut in muliere? Ad quod dicimus, quia Adam nō fuit seductus eo modo quo mulier. Non enim putauit esse verū, quod diabolus suggerebat. In eo tamen fuisse seductum credi potest, quod commissum veniale putauerit, quod peremptorium erat. Sed nec prior seductus fuit, nec in eo in quo mulier, vt crederet Deum illud lignum ideo tangere prohibuisse, quoniam si tangerent fierent sicut dii. Veruntamen præuaricator fuit Adam, vt testatur Apostolus. Poterat enim aliqua elatio menti eius inesse illico post temptationem, ex qua voluit lignum vetitum experi-ri, cum mulierem non videret mortuam esca illa percepta. Vnde Augustinus super Gene. Cum Apostolus Adam præuaricatorem fuisse ostendit dicens. In similitudinem præuaricationis Adæ: seductum tamen negat vbi ait, Adam non est seductus, sed mulier: vnde & interrogatus non ait, Mulier seduxit me: sed, Dedit mihi, & comedi. Mulier vero dixit, Serpens seduxit me. Hanc autem seductionem proprie vocauit Apostolus, per quam id quod suadebatur, cum falsum esset, verum putatum est, scilicet, quod Deus lignum illud ideo tangere prohibuerit, quia sciebat eos si terigissent, sicut Deos futuros: tanquam eis diuinitatem inuideret, qui eos homines fecerat: Sed etsi virum propter aliquā mentis elationem, quæ Deum latere nō poterat, sollicitauit aliqua experiēdi cupiditas, cū mulierē videret accepta illa esca nō esse mortuā: nectamē eū arbitror, si iam spiritali mente p̄ditus erat, vilo modo credidisse quod diabolus suggerebat.

Quis plus peccauit, Adam vel Eua.

E

Ex quo manifeste animaduerti potest quis eorum plus peccauerit. Adam scilicet, vel Eua: plus enim

Bb 3

vide-

*Roman. 5. 6.
Lib. 11. c. 42.
ad medium.*

*L. ib. Cap.
e. sdem in si-
ne.*